

aut episcopales faceret, populum cum aqua benedicta ante missam parochialem solemniter aspergeret, irregularis esset.

Qui ex ignorantia cum censura ministrat, irregularitatem non incurrit: hæc exceptio in Decretal. l. 5, tit. 27, cap. 9, exprimitur. Idem videtur dicendum de eo qui ex gravi necessitate cum censura ministrat: at episcopus vel sacerdos qui aliquem censuris innodatum cogit ad ministrandum, fit irregularis, ut docent *S. Ligorius*, l. 7, n. 358, et alii ex Decretal. l. 5, tit. 27, cap. 5.

Qui celebrat in ecclesia polluta non fit irregularis, quia censuram non violat; secus, si in ecclesia interdicta hoc faceret, *ut patet*. Item qui ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico, ordinationem scienter accipit, similiter est irregularis, ut ex pluribus juris canonici locis probat *S. Ligorius*, l. 7, n. 358.

An qui cum censura ordinationem suscipit irregularitatem incurrat, non sibi consentiunt doctores: sed omnes fatentur eum fieri suspensum et dispensatione summi Pontificis indigere.

#### *Baptismi iteratio.*

Irregulares ex delicto fiunt rebaptizans, ei assistentes seu ministrantes et rebaptizatus adultus, id est, qui reiterationi Baptismi sui libere consentit, idque constat quoad rebaptizatum, ex Decreto, p. 1, dist. 50, can. 65; quoad assistentes, ex Decretal. l. 5, tit. 9, cap. 2, ubi acolythus, qui baptismatis iterationi ministerium suum præstiterat, declaratur irregularis, si actio ejus sit publica. Unde theologo et canonistæ cominunter inferunt ipsum rebaptizantem *a fortiori* irregularem fieri, et plures asserunt hanc irregularitatem incurri, ex consuetudine, tum a rebaptizante, tum a ministrante, sive actio sit publica, sive sit occulta. Vide *Dens*, t. 5, p. 208.

Qui baptismum dubium sub conditione iterant, certe non fiunt irregulares, ut omnes fatentur; si vero Baptismum nullo rationabili motivo dubium iterarent licet sub conditione, irregulares fierent, juxta Catechismum concilii

Trident., *Bened. XIV* et alios multos, contra alios non paucos, inter quos *Suarez*, *Tournely*, *S. Ligorius*, l. 7, n. 356, etc. De hac quæstione jam egimus in Tractatu de *Baptismo*, cap. 6, art. 1, § 8.

Qui ab hæretico nominatim declarato, sine ulla necessitate baptizatur, in qualibet ætate, modo sit doli capax, est irregularis, ut in secunda parte Decreti, causa 1, q. 7, can. 10, expresse declaratur.

#### *Hæresis.*

In Sexto, l. 5, tit. 2, cap. 2, hæretici credentes, receptatores, defensores, fautores eorum ipsorumque filii, usque ad secundam generationem, declarantur irregulares: sed illa Decretalis in Gallia non fuit admissa, et quicumque hæretici vere conversi, *a fortiori* eorum filii ad clericatum idonei, ab episcopis ordinari solent sine ulla summi Pontificis dispensatione. Vide *Coll. Andeg.*, t. 13.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE IRREGULARITATE EX DEFECTU.

In veteri Lege quilibet ex stirpe Aaron descendens, *si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus, omnis qui habuerit maculam...* non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. *Lev. XXI, 18-21*. Ergo quædam tunc existebant irregularitates ex defectu.

In primis Ecclesiæ sæculis, nulla agnoscebatur irregularitas ex defectu: in quinto vel in sexto sæculo quædam fuerunt in usu; aliæ decursu temporis eis additæ sunt, et nunc juxta præsentem disciplinam octo numerantur, scilicet: 1° defectus natalium, 2° defectus animi, 3° defectus corporis, 4° defectus ætatis, 5° defectus libertatis, 6° defec-

tus famæ, 7<sup>o</sup> defectus sacramenti seu bigamia, 8<sup>o</sup> defectus lenitatis.

1<sup>o</sup> Defectus natalium.

Corruptio quæ, durantibus nono et decimo sæculis, clericum invaserat, fuit in causa cur concilium Bituricense, anno 1031 celebratum, stricte prohibuerit, can. 8, ne filii presbyterorum, sive diaconorum, sive subdiaconorum, ad clericatum susciperentur; quæ prohibitio ad omnes alios illegitimos fuit extensa, ut patet ex Decretal. l. 1, toto titulo 17, et præsertim capite 1 et ultimo, idque convenienter ob reverentiam sacro ministerio debitam, propter peccati parentum detestationem, et ob metum ne filii incontinentiæ paternæ forent imitatores, ut frequenter accidit.

Illegitimi autem sunt, 1<sup>o</sup> qui nascuntur ex simplici fornicatione; 2<sup>o</sup> a fortiori adulteri et incestuosi; 3<sup>o</sup> qui ex matrimonio civiliter tantum contracto proveniunt; 4<sup>o</sup> qui suscepti sunt ex matrimonio legitimo quidem, sed cujus usus factus est illicitus per solemne votum castitatis in religione approbata, vel per ordinis sacri susceptionem, ut habetur in Decretal. l. 1, tit. 17, cap. 14. 5<sup>o</sup> Multi volunt infantes expositos, quorum parentes ignorantur, habendos esse ut illegitimos, quia sæpe de facto extra matrimonium validum nati sunt. Ita *Bonacina, Tournely, Collet, Billuart, Coll. Andeg., Dens, etc. S. Ligorius* vero, l. 7, cap. 432, cum pluribus aliis, contrariam habet sententiam ut probabilior, quia illegitimitas non constat, et *in dubio odia restringi convenit*. In tali conflictu obtinenda esset dispensatio saltem ab episcopo.

Illegitimitas tolli posset, quoad ordines, 1<sup>o</sup> per legitimum subsequens matrimonium, modo inter partes nullum exstiterit impedimentum canonicum tempore copulæ, ex Decretal. l. 4, tit. 17, cap. 6. Unde si quis filium habuerit naturalem ex Anna et duxerit Mariam, atque, Maria mortua, matrimonium inierit cum Anna, filius ex ea natus fit legitimus. Contra vero, si quis, vivente uxore sua, filium habuerit ex Martha, et deinde, mortua uxore

sua, hanc Martham ducat, filius ex illa habitus manet illegitimus. Qui ergo prolem ex muliere sibi consanguinea vel affine habuit et eam vult ducere, postulando dispensationem ab impedimento, simul postulare debet ut proles legitimetur. Hanc clausulam scribæ cancellariæ Romanæ omittere non solent, quando expositum fuit prolem existere.

Notat *S. Ligorius*, l. 7. n. 423, filium naturalem, qui ante matrimonium parentum sacris ordinibus fuisset initiatus, dispensatione non obtenta, per matrimonium eorum sequens legitimum fieri, ita ut ministrare et ad superiores ordines ascendere posset absque ulla dispensatione, quia, licet susceptio ordinis cum tali irregularitate gravis sit culpa, novam tamen non producit irregularitatem.

Si matrimonium esset nullum ob impedimentum occultum uni saltem sponsorum ignotum, filii ex illo nati reputarentur legitimi, modo solemnitates ab Ecclesia præscriptæ, videlicet denuntiationes in locis determinatis, non fuissent omissæ, aut legitima obtenta fuisset dispensatio; secus enim matrimonium esset clandestinum, et bona fides adesse non censeretur. Ita *S. Ligorius* et plures apud ipsum.

2<sup>o</sup> Illegitimitas quoad ordines tollitur per professionem religiosam, non vero quoad dignitates etiam in religione, v. g., abbatiam, prioratum, etc. : ad hoc requiritur dispensatio.

3<sup>o</sup> Tolli potest per legitimam dispensationem, quam episcopus concedere potest ad tonsuram et minores ordines recipiendos, et possidenda beneficia quibus ordo sacer non est annexus; ad sacros vero ordines solus Papa dispensare potest. *Ita communiter theologi.*

Ad hæreditates et officia sæcularia olim dispensabat summus Pontifex cum illegitimis, quia lex civilis solam admittebat legitimitatem ab Ecclesia probatam : nunc autem apud nos illius dispensatio ad effectus civiles prorsus nulla est, sicut dispensatio principis vel legitimatio a lege civili admissa, ad suscipiendos ordines insufficientes esset.

2<sup>o</sup> Defectus animi.

Triplex distinguitur defectus animi, scilicet defectus rationis, defectus scientiæ et defectus fidei confirmatæ. Triplex ille defectus irregularitatem producit.

1<sup>o</sup> Defectus rationis quo laborare censentur perpetuo amentes, ii qui vel semel ex læsione organorum, non vero ex feбри aliave causa transeunte, fuerunt insani; lunatici, qui per temporum intervalla usum rationis amittunt; epileptici et arreputii seu a dæmone vexati, ut ex Decreto, p. 1, dist. 33, cap. 2, constat. Hi omnes ad suscipiendos ordines sunt irregulares, etiamsi videantur sanati, propter quamdam indecentiam et periculum ne eadem infirmitate corripiantur. Ordines vero susceptos exercere permittuntur si per temporis spatium ab episcopo determinandum relapsi non fuerint. Can. 3 dist. modo citatæ requirit spatium unius anni pro iis qui a dæmone vexantur.

2<sup>o</sup> Defectus scientiæ competentis irregularitatem inducit, ut constat ex Decreto, p. 1, dist. 36, can. 1, et ex dictis in Tractatu de Ordine, cap. 7, art. 2, n. 4.

3<sup>o</sup> Defectus fidei confirmatæ, quo intelligendi sunt neophyti, seu adulti recenter conversi ex paganismo, Judaismo, Mahumetismo, ne superbia elati, in iudicium incidant diaboli, ut ait ipse B. Paulus, I Tim. III, 6, et habetur in Decreto, p. 1, dist. 48, can. 1 et 2. Episcopi est iudicare an sufficiens effluxerit tempus ab eorum conversione ut neophyti jam non sint reputandi.

3<sup>o</sup> Defectus corporis.

Ex variis canonibus distinctionis 55, p. 1 Decreti, ex Decretal. l. 1, tit. 20, de corpore vitiatæ ordinandis, et l. 3, tit. 6, de clerico ægrotante vel debilitato, hi omnes sunt irregulares qui propter aliquem corporis defectum functiones ordinum vel nullatenus exercere possunt, vel non sine magna indecentia, aut horrore vel scandalo assistentium.

Hinc irregulares iudicantur 1<sup>o</sup> mutilatus, crus ligneum

habens, manu, pollice vel indice uti non valens; verum qui caret tantum ungue pollicis vel indicis, non est irregularis; qui jam est ordinatus et habet pollicem vel indicem impeditum, in casu necessitatis aliis digitis Eucharistiam ministrare posset, sed probabilius celebrare nequiret, ut S. Ligorius docet et plures apud ipsum, l. 6, n. 244 et l. 7, n. 408. Qui uno tantum minori digito caret, aliter quam per voluntariam mutilationem, non iudicatur irregularis; nec, juxta Tournely, qui caret duobus; nec, juxta communem sententiam, qui sex habet digitos, modo sextus aliorum usum non impediatur; et sextus ille digitus abscindi potest sine periculo irregularitatis, quia hæc resectio non est proprie mutilatio.

2<sup>o</sup> Cæcus, visu omnino carens vel ita cæcutiens, ut in Missali legere non possit: si tamen jam sit sacerdos, et moraliter certus sit se non erraturum pronuntiando, facultatem obtinere potest missas votivas de B. Maria vel de Requiem celebrandi, ut in Tractatu de Eucharistia diximus. Qui visu oculi dextri tantum privatur, non est irregularis, modo notabilis inde non nascatur deformitas; si vero non videat oculo sinistro, qui dicitur oculus canonis, ut irregularis communiter habetur, nisi canonem oculo dextro sine deformitate legere possit, quod episcopi iudicio subijcitur.

3<sup>o</sup> Surdus, quia vocem ministri respondentis audire non potest, nec igitur sine indecentia celebrare: ita communissime doctores, contra nonnullos qui hanc indecentiam negant, dicentes celebrantem ex aliis signis percipere posse ministrum respondisse. Si tamen surditas, sacerdotio suscepto, adveniat, sacerdos non reputatur irregularis, quia defectus facilius toleratur in promotio quam in promovendo. Surdaster non est irregularis neque ad ordines exercendos, neque ad eos suscipiendos. S. Ligorius, l. 7, n. 450.

4<sup>o</sup> Mutus aut balbutiens, qui verba integra pronuntiare non potest, aut non nisi cum magna difficultate, et risum vel contemptum excitat.

5<sup>o</sup> Claudus qui sine baculo in altari sustentari non potest, non vero ille qui claudicat vel crura distorta habet, si baculo non indigeat, nisi inde magna sit in eo deformitas.

6° Leprosus aut alio morbo perpetuo celebrationem impediens, aut horrorem excitante, laborans, v. g., cancro aliave plaga valde deformante: item qui haberet labia corrosa vel abscissa ad instar leporis, inquit *S. Ligorius*; qui careret naso, vel haberet valde distortum, demissum aut promissum. Qui tamen jam esset ordinatus, posset in his casibus celebrare secreto, ut in Tractatu *de Eucharistia* diximus.

7° Monstruosus, v. g., habens gibbam enormem quæ magnam producit deformitatem, incurvus qui recto capite stare non potest, pygmæus adeo brevis statura ut risum moveat, præsertim si ingens caput habeat, qui brachia tantum extendere non potest quantum ad ministerium altaris necesse est; Æthiops qui apud nos risum movet, aut quemdam horrorem excitaret, si divina celebraret mysteria.

In dubio autem an aliquis ex defectu corporis sit irregularis, Ordinarius habet jus pronuntiandi, licet a defectu vere existente dispensare non possit, ut ex Decretal. l. 1, tit. 20, cap. 2, et ex communi doctorum sententia constat.

#### 4° Defectus ætatis.

De hoc defectu sufficienter egimus in Tractatu *de Ordine*.

#### 5° Defectus libertatis.

Hoc defectu irregulares censentur, quoad ordines suscipiendos, 1° servi proprie dicti, donec plenam consecuti fuerint libertatem, ex Decreto, p. 1, dist. 54, can. 1 et 19, ex Decretal. l. 1, tit. 18. Cum servi proprie dicti apud nos non existant, de hac irregularitate longius disserere inutile esset.

2° Conjugati, nisi eorum uxores castitatem voluntarie profiteantur in religione approbata, vel in sæculo, ex consensu episcopi. Si conjugatus promovendus esset ad episcopatum, uxor ejus religionem ingredi teneretur. Hæc statuuntur in Decretal. l. 3, tit. 32, cap. 5, 6 et seq. Si vir fieret religiosus, et uxor esset juvenis, ipsa etiam vitam monasticam amplecti debet; si vero esset senex et steri-

lis, in sæculo remanere posset, viro ad religionem ex consensu ejus transeunte, ibid. cap. 9. Qui per divortium perpetuum, v. g., ob adulterium, ab uxore separatus esset, absque consensu ejus ordines sacros suscipere vel religionem ingredi posset, ut docet *S. Ligorius*, l. 6, n. 969, *Notandum*.

3° Curiales, id est omnes qui publicam gerunt administrationem, vel etiam privatam, ex communi sententia; vel curam habent honorum temporalium aut rerum sæcularium alterius, quales sunt thesaurarii vel depositarii publici, donec rationem negotiationis vel gestionis suæ reddiderint; item magistratus et milites donec officio suo, consentiente principe cui sunt obstructi, penitus renuntiaverint, Decreto, p. 1, dist. 54, can. 3, et Decretal. l. 1, tit. 19, cap. unico. Olim in Gallia officiales regii ordinari poterant retentis officiis quorum munera cum dignitate ecclesiastica non erant incompatibilia.

#### 6° Defectus famæ.

Duplex distinguitur infamia, una juris, et altera facti. Infamia juris ea est quæ incurritur per sententiam declarantem aliquem de enormibus criminibus esse convictum. Infamia facti ea est quæ contrahitur per notorietatem publicam alicujus criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosæ. Hæc divisio indicatur in Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 17, ubi dicitur: *Si proposita crimina ordine judicio comprobata, vel alias notoria non fuerint*.

Quicumque vere sunt infames, quia ad pœnas infamantes fuerunt damnati, vel ratione criminum notiorum aut artis ignominiosæ infamati, sunt irregulares, ut expresse statuitur in Decreto, p. 2, causa 6, quæstione 1, can. 17. Crimina autem quibus annexa est infamia, sunt homicidium, perjurium factum in judicio, hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio cardinalium vel episcoporum; et, ex jure novo, nempe ex conc. Trid. sess. 24, cap. 5 de Reform., mulierum raptus, ad illum cooperatio; item duellum, paratio armorum contra

parentes, exercitium histrionis cum turpibus representationibus, etc.

*Notandum* 1<sup>o</sup> hæc crimina, quamdiu manent occulta, irregularitatem non producere, excepto solo homicidio: porro reputantur occulta quoties in iudicio non fuerunt probata, vel aliunde non evaserunt ita notoria ut nulla tergiversatione celari possint.

*Notandum* 2<sup>o</sup> innocentes ex falsis testimoniis ad pœnas infamantes, v. g., ad trirèmes, ad exsilium, ad deportationem, ad publicam expositionem damnatos, nihilominus manere irregulares, donec sententia fuerit revocata vel legitimam dispensationem obtinuerint, quia de facto sunt infames.

Qui olim publicam egerant pœnitentiam, censebantur infames, ac proinde irregulares, Decreto. p. 1, dist. 33, can. 2, et dist. 61, can. 3.

Item qui professionem ex jure infamantem exercuerunt, nempe artem scenicam, histrionicam, et generaliter ii omnes qui in theatris ex professione luserunt.

Alii sunt conditionis adeo vilis, ut quamvis proprie non sint infames, ad ordines tamen propter honorem ecclesiasticum, admitti nequeunt, v. g., qui actu exercent artem macellariam, cloacariam, funambulariam, a fortiori carnificinam: non vero excluduntur eorum filii, nec ii qui a multo tempore has viles artes non exercent, vel eas in aliis regionibus exercuerunt et hoc ignoratur. Attamen sæpe prudentia exigit ut filii carnificum, ultimo supplicio aliave pœna infamanti damnatorum, latronum, decoctorum, etc., quamvis non irregulares, a statu clericali removeantur; et sic agere consuevimus.

Infamia juris per solam legitimam dispensationem auferri potest; infamia vero facti, per longam et sinceram emendationem tollitur. Episcopus autem iudicat an sufficiens existiterit probatio ut bona recuperata fuerit fama.

#### 7<sup>o</sup> Defectus sacramenti, seu bigamia.

Bigamia in eo consistit ut quis duas vel plures habuerit uxores. Triplex in jure canonico distinguitur, nempe rea-

lis, interpretativa et similitudinaria: Bigamia realis ea est quam modo definivimus, cum quis scilicet duas vel plures duxit uxores. Bigamia interpretativa dicitur, cum quis matrimonium iniiit cum muliere non virgine, videlicet cum vidua, vel cum meretrice aut cum puella ab alio corrupta, non vero a se cognita: in posteriori hoc casu non existeret divisio carnis nec ideo bigamiæ interpretatio. Secus si ad propriam accederet uxorem post adulterium ab ea commissum, aut si post matrimonium consummatum, aliud cum alia muliere etiam virgine invalide contrahat et consummet. Bigamia similitudinaria locum habet cum quis post castitatem solemniter promissam vel in professione religiosa, vel in ordinis sacri susceptione, matrimonium etiam cum virgine contrahere attentat et consummet. Sed qui plures habuit concubinas, vel cum diversis mulieribus fornicationem commisit, non est bigamus, quia reipsa plures non habuit uxores nec plures habere tentavit nec quid simile fecit.

Triplex bigamia supra recensita irregularitatem producit, ut constat ex variis juris capitibus, præsertim ex Decreto, p. 1, dist. 3, can. 2 et part. 2, causa 81, q. 1, canone 10, ex Decretal. l. 1, tit. 21, *de Bigamis non ordinandis*; et hæc irregularitas fundatur in textibus Apostoli, qui I Tim. III, 2, et ad Titum, I, 4, requirit ad ordines sacros viros *unius uxoris*. Et rationes sunt, 1<sup>o</sup> defectus sacramenti, id est significationis, quia tunc unio Christi cum Ecclesia, scilicet unius cum una, virginis cum virgine, non perfecte repræsentatur; 2<sup>o</sup> signum incontinentiæ quod in secundo matrimonio, quamvis licito, invenitur.

Bigami non solum sunt irregulares quoad ordines suscipiendos vel ordinum susceptorum exercitium, sed insuper omni privilegio clericali privantur, v. g., tonsuram et habitum clericalem deferre non possunt, ex Sexto, l. 1, tit. 12, *de Bigamis*, capite unico. Quod tamen non intelligendum est de clericis in ordinibus sacris constitutis qui, propter reverentiam ordinum, privilegio clericali, tonsura et habitu non privantur nisi per degradationem.

Hæc irregularitas, quoad susceptionem et usum ordinum majorum, a solo Pontifice maximo tolli potest. Plures volunt episcopos ab illa dispensare posse quoad ordines minores; sed opposita sententia nunc communior et probabilior videtur. Excipitur tamen bigamia similitudinaria in qua episcopus, post longuam pœnitentiam et laudabilem vitam, dispensare potest, ex Decretal. l. 3, tit. 3, cap. 4; S. Lig., l. 7, n. 452.

#### 8° Defectus lenitatis.

Cum Christum fuerit mitissimus, pertransierit beneficiando et nemini nocuerit, maxime congruit ut ipsius ministri sua lenitate sint commendabiles: viri sanguinis ad altare stantes potius occisores Christi quam vices ipsius gerentes viderentur. Deus ipse noluit ut David sibi ædificaret templum, quia multum sanguinem effuderat et plurima bella bellaverat, I Paralip. xxii, 8. Eadem ratione innixa statuit Ecclesia eos qui, post Baptismum, ad mortem vel mutilationem, illa secuta, voluntarie licet juste concurrerint, irregulares futuros esse, ut patet ex variis juris canonici capitibus, maxime ex Decreto, p. 1, dist. 51, can. 1 et 5; ex Decretal. l. 3, tit. 20, cap. 1; ex Sexto, l. 3, tit. 24, cap. 3. et ex unanimo doctorum consensu.

Diximus 1° *post Baptismum*, quia id formaliter exprimitur in jure, nempe in Decreto, p. 1, dist. 50; can. 8 et 61, et dist. 51, can. 1.

Diximus 2° *ad mortem vel mutilationem*, quia utraque exprimitur.

Diximus 3° *illa secuta*, quia lex factum supponit: non sufficit ergo sola intentio occidendi vel mutilandi, nec solus conatus, effectu non secuto.

Diximus 4° *voluntarie*, quia, ex Clement. l. 3, tit. 4, cap. unico, furiosus, infans, dormiens, si occidant aut mutilent, irregulares non fiunt. Idem dicendum est *a pari* de ebrio, nisi prævidere potuerit se in ebrietate occisurum esse. Qui ad tuendum propriam vel alterius vitam injustum occidit vel mutilat aggressorem, hoc voluntarie facere

non censetur, et ideo irregularitatem non incurrit, ut supra ostendimus, et quia irregularitas non statuitur in jure nisi ob homicidium vel mutilationem in bello justo vel in judicio.

Diximus 5° *juste*, si enim injuste ageret, irregularitatem ex delicto et non tantum ex defectu incurreret.

Diximus 6° *concurrerint*, quo verbo omnes comprehenduntur qui ad justam alterius mortem vel mutilationem proxime cooperati sunt.

Hinc 1° qui in bello justo offensivo propria manu aliquem occidit vel mutilat, fit irregularis, non vero qui ad bellum justum incitavit, in bello ad fortiter dimicandum exhortatus est, qui incarcerationem, percussit, vulneravit, etc., quia jus loquitur tantum de occasione vel mutilatione. Unde quinnullum certe occidit nec mutilavit, quamvis strenue decertaverit et multi fuerint occisi, non est irregularis, et in hoc ingens datur discrimen inter bellum justum et bellum injustum, quoad irregularitatem; nam in bello injusto omnes decertantes fiunt irregulares, etsi unus occiderit vel mutilaverit. Ita communiter theologi, et ex professo *Benedictus XIV*, inst. 101, n. 9. Probatur insuper ex decretalium lib. 5, tit. 12, cap. 24, laicum et clericum in bello justo defensivo occidentem vel mutilantem non fieri irregularem. Sæpe autem bellum ex utraque parte potest esse justum, saltem respectu militum, qui regi vel duci suo parere debent quoties non præcipitur aliquid evidenter injustum.

Attamen Cong. concilii Trident. sancivit, die 13 januarii 1703, clericum in sacris constitutum vel beneficiatum, qui militiæ nomen dedit, in bello militavit, irregularem esse si aliquando sclopetum adhibuerit in aliquo conflictu, etiamsi juramentum præstaret se nullum læsisse. Vide S. Ligorium, l. 7, n. 459.

In dubio an existat factum cui annexa est irregularitas, v. g., occisio vel mutilatio in bello justo, judicandum est eam existere pro foro interno, quia pars tutior est eligenda. Itaque in eo casu non licet ordines suscipere nec susceptos exercere. Sed clericus beneficio adeptus non privaretur ante

sententiam iudicis, quia dubia irregularitas habetur ut nulla in foro externo donec probetur. Ita *Bened. XIV*, Inst. 101, n. ultimo.

*Hinc* 2<sup>o</sup> qui in iudicio justo ad mortem aut mutilationem alicujus active, efficaciter, proxime et per actionem ex natura sua ad id ordinatam cooperantur, irregulares fiunt. 1<sup>o</sup> *Active*, quia sola præsencia executioni sententiæ, vel exhortatio confessarii ad mortem patienter subeundam irregularitatem non pareret. 2<sup>o</sup> *Efficaciter*, quia, *ut jam diximus*, intentio et conatus, effectu non secuto, ad irregularitatem non sufficiunt. 3<sup>o</sup> *Proxime*, qui enim remote tantum ad mortem aut mutilationem concurrunt, v. g., arma bellica faciunt, vendunt, præparant, instrumenta pro truncandis, suspendendis aut mutilandis damnatis fabricant, erigunt, irregulares non fiunt; neque rex constituens leges quibus malefici ad supplicia damnandi sint, vel iudicibus delegans potestatem has leges applicandi; nec episcopus tradens brachio sæculari clericum degradatum, vel hominem de hæresi convictum; nec doctor, concionator, confessarius, etc., docens malefactores puniendos esse, modo aliquem vel aliquos in particulari non designent. 4<sup>o</sup> *Per actionem ex natura sua*, etc., quia effectus qui per accidens evenit, non est imputabilis: unde confessarius qui dicit carnifici: *Officium meum implevi; nihil impedit quin tuum impleas*, irregularis non fit. 5<sup>o</sup> *Cooperantur*: hoc verbo comprehenduntur 1<sup>o</sup> iudices eorumque assessores et scribæ ad sententiam positive concurrentes, non vero domini temporales etiam ecclesiastici, causas alii committentes, ut habetur in Sexto, l. 3, tit. 24, cap. 3; 2<sup>o</sup> testes qui libere se offerunt ad deponendum contra reum, etiamsi protestarentur se non intendere sententiam sanguinis: ab irregularitate vero excusantur qui ad testificandum coguntur, ut communiter docent theologi; 3<sup>o</sup> accusatores qui coram iudice sæculari reum de crimine digno sententia sanguinis accusant; criminalem petentes vindictam, ut faciunt procuratores Reipublicæ eorumque substituti seu vicem gerentes; vel denunciatores, nisi propriorum vel cognatorum usque ad quartum gradum

damna præcavere aut eorum reparationem obtinere volentes, protestentur se nolle sententiam sanguinis, juxta expressam dispositionem juris in Sexto, l. 5, tit. 4, cap. 2. Hæc autem protestatio in causa aliena ab irregularitate non excusaret. Vide *S. Ligorium*, l. 7, n. 468.

Medici et chirurgi laici qui artem suam secundum regulas prudenter exercent, irregulares non sunt, etiam quando membra absciderunt et mortem ex remediis vel operationibus suis cum bona fide administratis aut factis accidere procuraverunt: si vero, propter ignorantiam, præcipationem, vel incuriam, mortaliter peccarent aliquem mutilando, vel morti ejus occasionem præbendo, irregulares fierent ex delicto, *ut patet*.

Stricte prohibitum est clericis, in concilio Later. III, ad sententiam sanguinis concurrere, vel ubi exercetur interesse; vel, si in sacris ordinibus sint constituti, ullam chirurgiæ artem quæ adustionem vel incisionem inducit, exercere, Decretal. l. 3, tit. 20, cap. 9. Unde clerici ad sententiam sanguinis positive concurrentes, non tantum fiunt irregulares sicut laici, sed mortaliter peccant propter Ecclesiæ prohibitionem: si executioni sententiæ simpliciter intersint, in illam sua auctoritate vel præsencia minime influentes, peccant saltem venialiter, propter prohibitionem et scandalum inde proveniens, sed irregulares non fiunt. Item nec ii sunt irregulares, qui medicinam vel chirurgiam scienter ac prudenter exercuerunt, modo nec adustio, nec incisio intervenerit. Sedulo tamen caveant ne, per remedia imprudenter præscripta, mortem alicujus etiam infantis nondum nati procurent: nam tunc irregularitatem ex delicto facile incurrerent.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE IRREGULARITATIS CESSATIONE.

Quædam irregularitates cessant 1<sup>o</sup> per ablationem causæ, si nempe cesset defectus corporis aut ætatis, si obliga-

tus ad publica officia ea deserat vel aliter ab eis solvatur; 2° per Baptismum, quo irregularitates ex delicto, v. g., ex homicidio, ex mutilatione, tolluntur: ea via tamen non auferitur irregularitas ex bigamia, sive culpabili, sive non culpabili, oriens; 3° per professionem religiosam qua irregularitas ex defectu natalium ad suscipiendos ordines tollitur, non vero ad dignitates possidendas, ut supra notavimus; 4° per dispensationem; omnes enim irregularitates proprie dictæ solo jure ecclesiastico fuerunt institutæ: ergo legitima dispensatione auferri possunt, sicut impedimenta matrimonium dirimentia vel impediencia.

Diximus *irregularitates proprie dictæ*, id est, quadam indecentia fundatæ; nam si vere existerent impossibilitates, ut si vir careret manibus, cruribus, scientia omnino necessaria, jure naturali inhabilis esset et a nemine legitime dispensari posset.

Summus Pontifex a qualibet irregularitate, tum ex delicto, tum ex defectu, dispensare potest, quia habet potestatem in omni jure ecclesiastico dispensandi.

Episcopi autem dispensare possunt per se, vel per vicarium generalem ad id specialiter deputandum, in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis: hanc facultatem expresse eis concessit conc. Trid. sess. 24, cap. 6 de Reform. Hinc, ut advertit *Ferraris*, v° *Irregul.*, art. 3, n. 8, dispensare possunt ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto causa defensionis propriæ vel alienæ, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia tale homicidium non censetur voluntarium, et ab irregularitate ex mutilatione occulta etiam voluntaria, quia mutilatio non excipitur a concilio.

In irregularitatibus ex defectu dispensare nequeunt, sola bigamia similitudinaria excepta, de qua superius diximus, p. 571.

Capitulum, sede vacante, eandem habet potestatem ab irregularitatibus dispensandi ac episcopus, quia jurisdictionem episcopalem exercet. Ita *Ferraris*, *ibid.*, n. 13.

Prædicta concilii Trid. concessio facta episcopis, prælatis, episcopis inferioribus, non competit, ut S. Cong. concil. declaravit, die 9 decemb. 1582, quia reipsa hi prælati, etsi subditos et jurisdictionem quasi episcopalem habeant, proprie tamen non sunt episcopi.

Verum plures summi Pontifices hanc facultatem prælatis regularibus relative ad subditos concesserunt, v. g., S. Pius V, prælatis ordinis Prædicatorum, Sixtus IV prælatis ordinis Minorum, Paulus III præpositis generalibus societatis Jesu, etc. Juxta *S. Ligorium*, l. 7, n. 353, prælati regulares in genere, ex privilegio S. Pii V, et ex alio Gregorii XIII, dispensare possunt cum suis subditis in omni irregularitate occulta, in qua episcopi dispensant cum suis.

Major Penitentiarius in cunctis casibus occultis dispensare potest pro foro interno super irregularitate ex quocunque delicto vel defectu proveniente.

Nulla præscribitur forma sub qua dispensatio ab irregularitate applicari debeat: sola sufficit voluntas superioris irregularitatem vel irregularitates, si plures sint, cognoscentis, tollere formaliter volentis, et suam voluntatem clare exprimentis. Attamen una est formula in Rituali nostro, p. 6, p. 129 relata, quæ videtur præscripta: ea uti debent sacerdotes qui, vi concessionis in *Enchiridio*, p. 18, factæ, vel ex facultate specialiter obtenta, ab irregularitate aliqua dispensare volunt, quamvis doceamus illius usum non esse præscriptum sub pœna nullitatis.

#### *De irregularitate dubia.*

Duplici ratione irregularitas dubia esse potest, scilicet 1° si dubitetur an existat lex tale factum aut talem defectum inter irregularitates inducens, et dubium est juris; et 2° si, lege certo existente, dubitetur an admissum fuerit factum vel existat defectus cui annexa est irregularitas, v. g., an in abortu fetus fuerit animatus, an mors ex facto agentis provenerit, an quis sit satis gibbosus, claudus, maculatus, etc., ut sacrum ministerium decenter exercere queat, et dubium istud dicitur facti.



Jam monuimus episcopi esse judicare, in dubio, an defectus sit ad irregularitatem sufficiens, Decretal. l. 1, tit. 20, cap. 2. Itaque episcopus super hac irregularitate non dispensat, sed determinat an certo existat, quo in casu vel ab ordinibus eorumve exercitio abstinendum, vel dispensatio a summo Pontifice obtinenda est.

In dubio juris communiter docent theologi, ex cap. 18, tit. 11, l. 5 Sexti, neminem teneri se gerere ut irregularem; nam ibi supponitur nullam existere irregularitatem, quæ in jure non sit expressa: sed cum odia sint restringenda, irregularitas dubia non est proprie expressa in jure: ergo, etc. Ita multi Probabilistæ cum *S. Ligorio*, l. 7, art. 346 et alii de laxitate non suspecti, ut *P. Antoine*, *Collet*, *Billuart*, etc. Si tamen, omnibus perpensis, longe probabilius esset legem existere, tunc recte dicit *Collet* unumquemque se gerere teneri ut irregularem, quia in tali conflictu, ex principiis nostris circa probabilismum, pars tutior est eligenda.

In dubio an commissum fuerit homicidium voluntarium, v. g., an mors ex vulnere, ex potione, etc., secuta fuerit, standum est pro irregularitate, ut expresse statuit Innocentius III, in Decretal. l. 5, tit. 12, cap. 18 relatus, et generaliter docent auctores.

An in aliis dubiis facti admittenda sit irregularitas, valde controvertitur inter theologos. *S. Ligorius* cum aliis multis, ut *Suarez*, *Cabassut*, *Collet*, negat, quia odia sunt restringenda, et in dubio nemo habendus est ut reus: *Daelman*, *Billuart*, *Dens*, volunt irregularitatem existere, quia rationes a summis Pontificibus allegatæ pro validitate irregularitatis ex homicidio voluntario dubio provenienti, valent etiam pro alio quocumque dubio. Ergo, etc.

Prior sententia probabilior nobis videtur, et certum esse arbitramur episcopum in tali dubio ad cautelam dispensare posse.

---



---

## APPENDIX.

---

Cum doctrinæ in celebri Bulla *Auctorem fidei* expressæ, in cursu theologiæ sæpissime recurrant, antequam his Institutionibus finem imponamus, ipsammet Bullam in extenso referendam duximus, prout in *Bullario magno Romano* jacet. Sic omnes hanc fidei definitionem errorumque confutationem, nostris præsertim temporibus maximi momenti, facile adire poterunt, quam forte, nisi hic submitteremus, reperire nequirent.

### SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

### PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VI

DAMNATIO quamplurium propositionum excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo: *Atti e Decreti del concilio diocesano di Pistoja dell' anno 1786. In Pistoja per Atto Braccali, stampatore vescovile. Con approvazione; cum prohibitionem ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam forsitan editorum, quam in posterum edendorum.*

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, universis Christi fidelibus salutem, et apostolicam benedictionem.

§ I. Auctorem fidei et consummatorem Jesum aspicientes, nos jubet Apostolus <sup>1</sup> sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semet-

<sup>1</sup> Ad Hebr. xii.